



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||  
Confessione Pec- || catorvm Apvd Catholicos || vsitata per  
Quæstiones explicatur**

**Eisengrein, Martin**

**Ingolstadii, 1577**

**VD16 E 795**

XV. Vtru[m] possit Superior pro arbitrato suo, quó suis casus reseruare.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30362**

## Caput VI. De Ministro

tam habet, & non maiorem, quantā accepit à suo Superiore. Vnde Pontifex Maximus qui habet supremam iurisdictionem spirituale in Repub. Christiana, ex legitima causa potest iudicio suo reseruare quaecunq; crimina, quascunq; personas, quascunq; etiā prouincias; eandem potestatem habet Episcopus in sua dioecesi, & Parochus in sua parochia.

*Quaestio* XV. *Potestne Superior pro arbitrato suo, quosuis casus reseruare?*

*Responsio.* **D**istinctione hinc opus est. Nam si ministri sint delegati tantum & extraordinarij, carentes videlicet ordinaria absoluendi iurisdictione: tunc Superior eis tantam concedere potest auctoritatem, quantā velit, nec vlla afficit eos iniuria, etiam si minimā concesserit, cum nullam eis debeat.

At si inferiores fuerint ordinarij, quales sunt Parochi, religionum Praelati, & Episcopi, non potest Superior pro libitu suo quosuis casus reseruare. Nam cum ipsi sint ordinarij, qui nisi impediuntur, ab omnibus possunt absolvere, non potest Superior nec debet, nisi id hono cōmuni viderit expedire, illos sua potestate fraudare; praesertim, si suam iurisdictionem iure Diuino, & non ab Episcopo habeant.

Imò tantus esse potest abusus reseruationis, vt Parochi non teneantur Superiori parere;

rere, sed eo inconsulto possent à reseruatis illis absolueri; potissimum cum nimia reseruaciones sint in grauamen populi.

Est tamen adhibenda prudentia, et consilium super huiusmodi minutioribus casibus reseruatis, ne sine causa inferiores inobedientes iudicentur.

*Quomodo peccata reseruata sunt  
confitenda?*

SI contingat aliquem confitentem habere aliqua peccata reseruata, huiusmodi debet accedere suum Superiorem, cui scilicet reseruata sunt, & illi confiteri omnia, tam reseruata, quam non reseruata, & absolui ab omnibus.

Vel ab eo petere facultatem, vt liceat proprio Parocho singula confiteri, & ab omnibus absolui.

Vel confitens potest mittere Confessarium, vt impetret veniam absoluedi. Quod si autem non patet accessus ad Superiorem, potest contritus, & de reliquis confessus, & absolutus, communicare; præsertim, si peccatum reseruatum non habeat secum annexam excommunicationem, & ipsa communicatio differri nequeat absque scandalo.

**L** Potestne

*Questio  
XVI.*

*Responso.*

Hæc questio tractatur etiam in 3. ca. circa integritatem Confessionis.